

facile de misericordia concionetur, quin de ejusdem justitia pro timore conservando aliquid subjungat; nam timor et spes in Auditoribus sunt duo molares dentes; quorum uterque necessarius est ad optatum fructum spirituales ex Verbo Dei referendum, verbi-que divini cibum masticandum.

Quinto sepe consulat actionis hujus peritos, ut, quod deformiter agit, eorum consilio corrigat, sed et Concionatores insignes, ubi occasio dat, audiat, eorumque pronuntiationem, gestus et similia, quae ad artificium oratorum pertinent, sedulo observet, ita tamen, ut prudentem cautelam in imitatione adhibeat, et, quidquid aliis decorum est, non statim sibi adsciscat: sunt enim gestus nonnulli fortuiti, quos uni venustos, alii indecoros esse compertum est; certe raro ad modum feliciter cedit, si quis insignem Concionatorem per omnia captiva velit æmulari; ingenia namque diversa nequeunt in omnibus mutuo inter se congruere; optime facit, qui ex multorum, quos audit, varia observatione unam sibi boni Concionatoris formam componit, eamque sedulo in se exprimere studet. Illud vero hoc in negotio non nemo prudenter monet, perquam raro, aut fere nunquam Concionatorum reperiri, qui pronuntiando vel agendo non peccat, atque adeo optimum in hoc genere censendum, qui omnium levissime peccat; quare non est, cur doleat Concionator, si in hac parte non inculpatissime se agere advertat, modo deformitatem cavere studeat; neque vero Auditores minus proficiant, quod aliquem brachii manusque motum non adeo arti convenientem aspiciant.

Sexto rumoribus populi non facile moveri se sinat, ut nova et parum confirmata in publicum afferat, vix enim dici potest, quantum auctoritas Concionatoris minuitur, si falsos ejusmodi rumores ipso parum circumspicte sporsisse comperitur; quam eandem ob causam etiam sedulo cavebit, ne, quae aut dubia sunt, aut incerta, populo proponat, aut etiam quantumvis certa, imperite explicet; potius absteineat a similibus ques-

tionibus, cum magis fructuosae materiae non desint; neque propterea se sufficientem ad conciones habendas non esse existimet. Socraticus ille Franciscus non subtilia et magna doctus erat, subtilis vero et magnus Concionator erat, sicut et nostro saeculo Beatus et eminentissimus Carolus Borromeus, quia ut bene Sanctus Salesius cap. 1. ait, ad Concionatorem doctrina sufficit, nulla nisi media scientia praeditus mirabilia nihilominus operabitur. Volo sufficienti eruditione exutum esse Concionatorem. Optimus dicenti magister est, quia non vult apparere, plus scire, quam sciat.

Septimo certo sibi persuadeat, non parum referre, qua dispositione non corporis duntaxat, sed animi etiam ad concionem accedat. Hinc S. Salesius cap. 1. prudenter suadet, ut nunquam Concionator ad concionem accedat, nisi post oblatum sacrosanctum et incurrentum Missae Sacrificium, aut certe nisi intentionem celebrandi habeat; vix enim credibile est, ait S. Chrysostomus, qualem os et lingua, quae corpore et sanguine Christi maduerunt, Daemonibus incutiant terrorem tum nimirum cum sancto Paulo dicere potest, Concionator: *An experimentum queritis ejus, qui in me loquitur Christus, majorique confidentia fervore et lumine scateat: Quamdiu sum in mundo*, ait Salvator, *lux sum mundi*, unde constat, si realiter in Concionatore inhabitet, suos radios abunde communicaturum, ut in Discipulis in Emmaus euntibus apparuit, quorum post communionem et non ante sanabatur ophthalmia, et aperiebantur oculi ad videndum. Praedicare quoque deceat eum confessum, ne a Davide arguatur dicente: *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras justicias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Juvat etiam exemplo celeberrimorum Concionatorum corporalem penitentiam praemittere, ut cum Divo Apostolo dicere queat: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis predicavero, ipse reprobus efficiar.*

PARS II.

DE PRAXI HABENDORUM CONCIONUM.

PROOEMIUM.

Quod olim Seneca de necessitate exempli in genere dixit, nimirum longum esse iter per verba, breve et effeax per exempla, hoc merito etiam in praesenti nostra materia usurpari potest, frustra nempe praepcepta pro arte concionatoria addiscenda agglomerari, nisi simul etiam in quibusdam exemplis ostendatur, quomodo talia praepcepta applicari debeant; certe quotidiana experientia docet, nunquam artes facilius, perfectiusque addisci, quam per magistrorum exempla, quia haec, ut in alio genere sanctus Gregorius dixit: « Quod loquendo imperant, ostendendo adjuvant, ut fiat, » quare cum primarius hujus instructionis scopus sit, non praepcepta tantum ad artem concionatoriam pertinentia tradere, sed media etiam ad eandem facile addiscendam suggerere, non videbantur fraudandi firones, praecipuo hoc exemplorum practico subsidio. Quare imprimis in genere breviter explicabo, quae circa conciones actu habendas sint observanda, deinde formatas aliquas conciones offeram, ex quibus haud difficile, ut spero, firones addiscere possint, quomodo praepcepta hactenus tradita in ipsa praxi applicare, atque adeo ad persuadendum Auditorem apposite dicere debeant.

CAPUT I.

Quid in genere circa praxim habendarum concionum observandum sit?

Breviter aio sequentia observanda. Primo si concio coram Episcopo habenda sit, antequam ascendat Cathedram, ad locum, ubi Episcopus sedet, accedat, ibique imprimis genu flexo manum osculetur, tum benedictionem petens dicat: *Jube Domine benedicere*; qua accepta reverentiam convenientem iterum eidem faciens ad Cathedram pergat. Ita Cereemoniale Episcoporum l. I. c. XXII.

Secundo dum ad Cathedram vadit, mo-

deste et graviter procedat, neque facile hinc inde circumspiciat. Ubi Cathedram ascenderit, per modicum tempus quietus consistat, cooperato capite (ut vult dictum Cereemoniale Episcoporum) usque dum populus ad quietem ac silentium se composuerit; tum detecto capite, signo crucis majore se signans claraque voce dicens: In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen: thema clare titidem et tarde pronunciet; aliqui etiam hic locum, ex quo thema depromptum est, citant, sed non video necessitatem, cum paulo post ante recitationem Evangelii eandem indicaturus sit.

Tertio post thema pronuntiatum, formula proemialem subjungat, quae quidem varia a variis adhiberi solet, rituale Augustanum hanc praescribit: *Die Gnad Gottes des Allmacht-*

gen die reichliche Verdients unsers Heylands und seligmachers Jesu Christi, (vel si Natalitia Christi celebrantur) die Gnad enreiche Geburt unsers Heylands (vel in Quadragesima) das bittere Leyden und sterben unsers Heylands, die Erluchtung des heiligen Geistes mit uns allen, welche solches von Grund ihres Hertzens begehren, die sprechendas einige Wortlein, Amen.

Communis praxis sequentem formulam observat, der Allmächtige gütige, und barmhertzige Gott verleyge uns allhie sein Gnad, und nach diesem zergänglichem Leben die ewige Freud, und seeligkeit, Amen.

Quarto hac formula absoluta dicit: Die Wort, so ich ewer lieb, und andacht in Latein habe vorgetragen, habe ich genommen aus dem heutigen Sonntaglichen (vel si est festum alicujus Sancti) feiertaglichen Evangelio, und Luthen auf unsere teutsche Sprach also, etc. Aliqui post illud verbum Evangelio hæc verba: Welches uns beschreibt, etc. Sed non video hujus necessitatem, cum paulo post ante ipsum Evangelium, et commodius longe sint pronuntianda. Post ea pergat: Von diesen und dergleichen Worten et was weiters mit ewer lieb und Andacht zur grossern Ehr Gottes, und unserm Heyl zu handeln, wollen wir zuvor begehren die Gnad des heiligen Geistes, mit einem andächtigen Vatter unser und Englichen Gruss. Si ante concionem cantio germanica, ut alicubi sit, post thema et communem formulam pronuntiata a musicis cantatur, tunc post illud verbum zuvor, addat: Nach vollndtem gewöhnlichem Kirchen-Gesang begehren, etc.

Quinto finita oratione flectat genua, et gratiam Spiritus Sancti pro se et Auditoribus suis ardentem imploret, tum surgat et dicat: Num stebet auf, und bezeichet euch mit dem Zeichen des heiligen Kreuzt, un sprecht mit Andacht: Im Namen Gott des Vatters, des Sohls, und des heiligen Geists, Amen. (Quod dum dicit, etiam ipse signum crucis pollice in fronte, ore et pectore tarde et reverenter facit.) Und vernimmt die Wort des heutigen heiligen Evangelii. Welches uns beschreibt des heilige Evangelist und Cantzler Christi Lucas am XII. Cap. mit folgendem Worten. Post hæc dicta tarde et distincte Evangelium recitat, eoque finito dicat: So viel seynd Wort des heutigen heiligen Evangelii, durch deren Kraft, und macht verzehet uns Gott alle unsere Sünd und Missethaten, Amen.

Sexto, sub ipso contextus concionis, si

nomen Jesu, et Mariæ, aut Sancti, de quo officium celebratur, proferat, ad publicam edificationem pertinet, ut et ipse caput aperiat; ne tamen frequenter nimis repetere necesse sit ejusmodi reverentiam, caveat, quantum fieri potest, a frequentiori pronuntiatione similium nominum, illud tamen omnino non negligat, ut, si proferenda sunt ejusmodi Sanctorum nomina, ea non nude proferat; sed Sancti, vel alio ejusmodi epithetho addito.

Septimo, concione finita, si quid promulgandum sit, clare, et distincte, prout consuetudo loci exigit, promulget; quod si pro ægris aut defunctis preces sint petende, tum ultima promulgatione facta dicat: Für diese und alle andere, so unsers Gebetlis bedürffig seynd, betet mit mir ein andächtiges Vatter unser und Englichen Gruss. Quo recitato surgat, et siquidem oratio pro communibus necessitatibus dicenda sit, premittat prius hæc aut similia verba: Weil wir also in dem Herrn vers ammet seynd, so lasset uns absonderlich beten für das Auligen der ganzen Christenheit, sprechet derhalben mit mir nachfolgendes Gebet. Finita hac oratione pergat ulterius et dicat: Damit ober unser Gebet dem Allmächtigen Gott desto angenehmer sey, so bezeichet euch mit dem Teichen des heiligen Creutz und sprechet mit mir nach die offne Schuld, postea subjungat orationem: Misereatur, etc. Indulgentiam, etc. simulque super populum crucem faciens graviter et modeste de cathedra descendat.

CAPUT II.

De praxi dominicales conciones habendi.

Exemplar Primum.

In quo ostenditur, quomodo una doctrina Auditoribus persuaderi debeat.

Thema.

Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici mei. JOB. XIX.

Scopus.

Ostendendum, quare et quomodo animabus purgatorii succurrere debeamus.

Syllogismus principalis.

Illud opus magna cum alacritate suscipiendum est, ad quod supra et infra, extra et intra motiva vehementer impellentia reperimus; atqui tales opus est misericordia, quæ animabus purgatorii præstatur; ergo hæc misericordia cum magna alacritate iisdem animabus est exhibenda.

EXORDIUM.

Ex scopo concionis deductum.

Si hodie optare mihi liceret, quidquid lubet, præ reliquis optarem, ut, sicut olim Sanctus Hieronymus illam vocem: *Surgite mortui, venite ad iudicium*: perpetuo in auribus sonantem habuit, ita meis Auditoribus vox illa lamentabilis pro themate citata nunquam ex animo excideret; vix enim quidquam reperio ad quod tantopere nos undique impelli video, quam ad misericordiam animabus purgantibus præstandam, ita, ut quod pius ille scriptor I. II. de imitatione Christi c. XII. de cruce dixit, hoc potiori jure de hac misericordia dici posse iudicem, videlicet converte te supra, converte te infra, converte te extra, converte te intra, et ubique motiva perquam efficacia invenies, quæ ad dictam misericordiam te impellant quare ut et vos peridlecti Auditores, obligationi vestre hæc in parte satisfaciatis, hæc ipsa motiva vobis in presenti concione paulo fusius explicabo, simulque modum ostendam, quomodo talem misericordiam non minori vestro quam illorum commodo atque solatio exhibere possitis; spero itaque, vos tanto majori attentione ea, quæ dicturus sum excepturos, quanto majorem utilitatem sperare poteritis, si ea non retinere dumtaxat in memoria, sed etiam in effectum deducere studueritis.

Pars prima confirmationis.

Atque ut a motivis, quæ supra nos, id est, in cælis invenimus incipiam, quod, quasso, efficacius motivum afferri potest, quam si dicam per misericordiam animabus purgantibus præstitam toti Sacrosanctæ Tri-

nitati, et universis cœlitibus summum beneplacitum gaudiumque creati? Quis enim dubitare prudenter poterit summam complacentiam et voluptatem concepturum Patrem cœlestem, si filios suos tantopere dilectos in tam crudeli supplicio liberare studebitis? Quis dubitet, gratissimum fore Filio velut Pastori optimo, si oves illos tam caro pretiosissimi sanguinis pretio redemptas, ex horrendis illis flammis eripere conabimini? certe jam olim Sanctæ Gertrudi revelavit, tam acceptum esse sibi conatum istum, ac si ipsum quis ex iisdem flammis eripisset? quis dubitet, et Spiritui Sancto summe beneplaciturum, si animas illas velut sponsas illius charissimas, ex tam molesto purgatorii exilio in cœlestem thalamum introducere satagatis? hæc certe de causa toties nos per Prophetas ad misericordiam excitavit. Hinc per Micheam cap. VI. dixit: « Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te, utique facere iudicium et misericordiam. » Hinc per Salomonem manifestavit, facere misericordiam gratius esse Domino, quam victimam, si ergo olim tantopere in Sacrificiis sibi complacuit Deus, et si misericordia quævis præstantior est et gratior illis sacrificiis, quis negabit gratissimam fore misericordiam animabus purgantibus præstitam, ut quæ a summa miseria liberatis summam felicitatem procurat, et personis summe indigentibus sanctissimisque confertur, atque adeo inter omnia genera misericordiæ perfectissimum consetur.

Sed neque dubitari potest, quin Beatissimæ Mariæ Virgini gratissimum obsequium per hanc misericordiam præstetur, quid enim gratius ei esse poterit, quam si eam velut Matrem misericordiæ in hoc potissimum genere sollicitæ emulari studeamus? certe quod misericordiam suam singulariter animabus purgantibus illa impendat, non una tantum ex revelatione accepimus; nam imprimis Hieronymo Caravallæ Societati Jesu Sacerdoti; cum propter purgatorium subundum anxius esset, aperte dixit, ne ita angaris, nam ego non tantum sum Advocata peccatorum in hac vita existentium, sed etiam eorum, qui in purgatorio definentur.

Sed et Sanctæ Brigittæ olim dixit, ut refertur in l. IV. revelationum cap. cxxxvii. nullam esse penam in purgatorio, quæ non propter ipsam remissionem fiat, et levior ad ferendum, ac alias esset, imo, ut Dionysius Carthusianus testatur paragrapho secundo

de assumptione, semper in pervigilio Nativitatis et resurrectionis Christi in purgatorium descendit (addunt alii etiam Assumptionis) et ingentem animarum numerum educit; neque contenta, ut ipsa miseretur, etiam famulos sibi specialiter dilectos ad eam misericordiam hortatur, sic enim Joannem Ximenum Coadjutorem Societatis Jesu, ut memor esset animarum in purgatorio existentium hortata est; sic et Patri Alphonso Cortesio ex eadem Societate dixit: si ex angustiis conscientiae, quas pateris, liberari cupis, animabus purgantibus prius subvenire stude. Dubitari ergo non debet, quin et Beatissimæ Virginis sit acceptissima misericordia animabus prestata.

Non vero minus grata est reliquis cœlitibus, cum enim ex una parte ardentissime desiderant, ut Deus, a quo tantam felicitatem acceperunt, a quamplurimis perfectissimè cum illis laudetur: ex altera vero parte intensissima charitate omnes homines in via adhuc constitutos amplectantur, atque adeo nihil magis optent, quam ut illius beatitudinis, qua ipsi modo fruuntur cum summa voluptate, etiam illi fiant particeps, an quidquam illis gratius præstari possit poterimus, quam si plurimas animas ex purgatorio in cœlum ad augendam Dei et Sanctorum gloriam accidentalem transferre studebimus? atque hæc videlicet causa est, cur non pauci Christiani, quando beatos cœlites, aut in ipsorum festo aut alio tempore speciali cultu venerari, sibi que demereri desiderant, ante omnia satagant, unam alteramve animam per suas orationes, aliaque pia opera ex purgatorio liberare, ut hæc illorum loco Deum et Sanctos perfectius laudent et benedicant, proque ipsorum salute Deum efficaciter deprecantur. Atque ex his modo satis patet, quam efficacia motiva supra nos habeamus, ad misericordiam defunctis liberaliter prestandam.

Jam vero si nos infra nos, nempe ad ipsas animas purgantes convertamus, tot profecto iterum motiva ad eandem misericordiam exhibendam reperiemus, quot titulos in illis deprehendimus, propter quos aliquam ad nos relationem habere possunt; nam si eas ut membra istius corporis mystici consideremus juxta illud Sancti Pauli ad Rom. XII. « Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alterius membra; » quis non insignem sibi ad commiserationem stimulum addi sentiet? si enim eodem Apostolo teste

ad Cor. XII. « Dum patitur unum membrum, mox compatiuntur omnia; » si quotidiana experientia testatur; manus nostras, si forte scintilla in pedem vel caput incidit, mox succurrere, et totis viribus eam scintillam repellere; qui fieri poterit, ut animas illas velut commembra nostra tam crudeli incendio correptas credamus, et non mox ad idem repellendum totis viribus concitemur? Quod si vero jam eas, ut fratres nostros aspicimus, non carnales, sed spirituales, ex eodem Christi Sanguine, ab eadem Matre Ecclesia, et ab eodem Patre Christo prognatas, quis non videt, quam efficax iterum motivum offeratur ad eas ex sua captivitate liberandas? qui enim non frequenter advertit, si forte frater aut soror in carcerem a Judice conjiciatur, quanta mox commiseratio in fratribus et sororibus oriatur? quam celeriter varia media ad illius liberationem adhibeantur; quam nulli labori, precibus, sumptibusque parcat, ut captivus liberetur; annon ergo captivis animabus similem charitatem tanto abundantius, alacriusque prestabimus, quanto præstantior merito spiritualis fraternitas quam corporalis censetur? Quod si denique easdem animas ut pulcherrimas Dei imagines et creaturas post Angelos præstantissimas intueamur, simulque ponderemus, quam graves sint penæ, quibus subjectæ sunt, ita ut, teste Sancto Thoma, aliisque Patribus, minima illarum omnem hujus vitæ cruciatum longe excedat, quis adeo obduratum pectus habebit, ut ex tanta consideratione illud non emolliiri sentiat ad opem tam afflictis animabus ferendam? hujus certe motivi consideratione adeo raptus est Sanctus Doctor Augustinus, ut gravissime inhumanitatis damnaverit eos, qui animabus purgantibus non succurrere studerent: « Clamat, inquit, ad fratres in Eremito, clamat procius, et cum eo clamare ceteri non cessant: cadit asinus, et omnes eum sublevare festinant, sed clamant inter tormenta fidelis, et non est, qui respondeat. Ecce vestra inhumanitas! » Va tamen talibus, qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamavit, et non exaudietur, ut Salomon proverb. II. prædixit: Veniet profecto tempus, quo cum fratribus Josephi Genesis XLII. dicent: « Merito hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. »

Sed pergamus, et motiva, quæ extra nos sunt, etiam ponderemus, quæ quidem sunt tam multa, quot pericula, hostesque, sive corporales, sive spirituales numeramus; quis autem est, qui non ab innumeris se circumsessum agnoscat, ac gemit? annon ergo potenti et fido exercitu, a quo contra tot hostes defendamur, indigebimus? indigemus profecto, sed hunc vix facilius, quam per misericordiam animabus præstitam conscribemus. Si enim jam olim Alphonsus Rex Aragoniæ propria manu pauperibus elemosynam distribuit, dicens, eos optimos corporis sui custodes esse, ac proinde, decere, ut propria manu stipendium illis porrigat, quanto magis hoc quisque de animabus purgantibus sentire et sperare poterit, ut quæ potentia et gratitudine pauperes nostros tantopere excedunt, et vero etiam tanta gratitudinis ac fidelitatis specimina ediderunt; memorabile certe est, quod Martinus Roa in libello de auxilio illis animabus præstando c. XXI. de se ipso fatetur, nempe se in multis periculis terra, marique, inter sylvas et latrones, super saxa et nivibus repletas rupes exstitisse, et tamen per Dei auxilium et animarum patrocinium citius, quam ea adverteret, ex iis se liberatum fuisse. Possem etiam in confirmationem hujus rei decantatam illam de Eusebio Sardinie Duce historiam narrare, cui contra Ducem Siciliæ Ostrogium, 40,000. animarum in specie candidi exercitus subsidio venerunt, plenamque de hoste victoriam obtinuerunt: possem item narrare, quomodo eum qui, quoties cœmeterium transibat, orationem Dominicam pro defunctis orare consueverat, arreptis lignibus, aliisque similibus instrumentis defenderit; sed quia et has, et alias plures similes historias passim notas esse suppono, fusiori earum narratione lubens abstineo, et id unum ex illis concludo: si eos, qui tam modicam misericordiam illis exhibuerunt, tam fideliter ac potenter defenderunt, quanto fidelius, potentiusque defensura sint illos, qui tam liberaliter illis misericordie stipendium offerre studuerint? ut adeo merito tales tam potenti presidio freti illa sibi Ecclesie verba applicare possint, libr. IV. Regum cap. IV. *Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis*; vel certe illud Sancti Bernardi in Psalm. XL. « Quid sub tantis custodiis timeamus? potentes sunt, fideles sunt, prudentes sunt, quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhæreamus eis, »

in protectione Dei cœli commorabimur. » Patet ergo et extra nos non leviam nobis motiva misericordiam hanc persuadere.

Verum majora longe præstantissimaque reperiemus, si nos intra eos convertamus; quid enim magis in votis esse potest, quam ut omne id, quod a Deo petierimus, efficaciter impetremus? atqui hoc ipsum misericordia animabus præstita efficiet, illa namque est, quæ, ut Sanctus Chrysostomus homil. IX. supra Mattheum loquitur: « Amica Dei existit, et ei semper propinqua est, et quibuscumque voluerit, munus gratiæ impetrat; huic cum multa fiducia porte cœli aperiantur, et semper ante solium regale consistit. » Desideratis ergo copiosam in temporalibus benedictionem a Deo obtinere? misericordiam animabus exhibete. *Qui enim promissus est ad misericordiam, benedicetur*, teste Salomone Proverb. XII. Ut jam olim Ercidio Romano Senatori, quia famis tempore quam plurimos pauperes curavit, et eosque pessime famis calamitatio erubuit in patriam revehi curaverat, vox o cœlo delapsa dixit: « Ercidii, quia me in pauperibus aluisti, ex hoc tibi et semini tuo panis non deficiet in æternum; » quanto magis similis gratiam sperare poterunt, qui animas pane Angelico, et Sanguine Christi refectos per manus eorundem Angelorum deportari in cœlestem patriam suis sumptibus sen operibus curant? Sed quid ista minora commemoro? quis ex vobis non ardentissime desiderat æternam felicitatem consequi, atque adeo beata morte, quæ est ad dictam felicitatem necessaria defungi? atque hanc ipsam gratiam facillime per misericordiam animabus præstitam obtinebitis; id quod præclare confirmat Sanctus Hieronymus in epistola ad Nepotianum dicens: « Non memini me legisse, mala morte mortuum, qui liberenter opera charitatis exercuit; habet enim multos intercessores, et impossibile est, multorum preces non exaudiri. » Expertus est hoc senex ille, de quo Pater Stephanus Binet lib. de statu animarum cap. I. narrat, quod, cum morte jam appropinquare gravibus conscientie angoribus ob timorem judicii extremi cruciaretur, subito centum milia Sanctorum niveis vestibus indutorum ad ipsum descenderint, bonoque animo esse jussit, seque esse animas illas, quas ex purgatorio redemisset dixerit, quæ proin nunc venissent ut vicem redderent, eamque secum ad cœlos deducerent, id quod mox factum. Sed et idem alius quidam Nolanus nobilis, refe-

rente Patre Elia a Sancta Teresia lib. IV cap. LV. expertus est, dum noctu de repente ab animabus, pro quibus quotidie ardentem preces fundere consueverat, excitatus est et somno, et confiteri iussus; nam vix paruit, ac confessionis ac Eucharistie Sacramentis se munivit, mox subitanea morte functus obiit. Quis iterum ex vobis, eandem felicitatem non citius obtinere, atque adeo a purgatorio vel omnino eximi, vel certe ibidem non diu detineri desiderat? atqui hanc quoque gratiam misericordiam animabus praestita impetrabit; si enim Christus ipse promisit, quod, qua mensura mensuraverimus eadem sit re metiendum nobis, si, quod uni ex minimis factum est, sibi factum reputat; an qui toties ipsum in animabus purgantibus redemit, non merito sperare poterit, quod et ipsum quondam ille a purgatorio defensurus sit? ita sane olim Sancta Gertrudis experta est; cum enim haec Virgo Sanctissima in agone angeretur, ac timeret, ne defectu operum bonorum, quae animabus purgantibus ex asse transcripserat, gravem in purgatorio poenam subire cogere, Christum ei dem apparem, non modo eam consolatus est, sed etiam tres spirituales gratias promisit, nempe quod sine omni purgatorio ad caelum ascensura, quod omnes animae ab ipsa liberatae illam comitaturae, et cum magno júbilo in caelum deducturae; et quod ipsa denique singulare in altera vita premium ob tam eximiam misericordiam animabus exhibitam esset acceptura, ut adeo merito Sanctus Tobias cap. IV. ad filium dixerit, quod *misericordia ab omni peccato, et a morte liberet, et non sinat animam ire in tenebras (purgatorii aut inferni) sed fiducia magna futura sit coram Deo omnibus facientibus eam.*

Pars altera concionis.

Sed credo equidem, videre vos tandem, quantopere undique incitamenti ad misericordiam animabus purgantibus praestandam, et vero etiam certo mihi persuadeo, quod parati sitis vestrae obligationi satisfacere, si modum, quod facere id commodissime possitis, cognoveritis, cui quidem desiderio vestro iustissimo ut satisfaciam, in primis hoc unicuique vobis commendo, quod dictus Tobias senior filio suo commendavit, dum dixit: *Quomodo potueris esto misericors; si nullum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum*

tibi fuerit etiam exiguum libenter impertiri stude; quia tamen non omnes cognoscunt mensuram, qua metiri misericordiam animabus debeant, eandem a Christo mutuatam vobis offero, dum Luca VI. dixit: *Mensuram bonam, confertam, cogitatum et superfluentem dabit in sinum vestrum;* haec scilicet perfectissima mensura est: hanc a vobis quoque erga animas purgantes usurpari optarem; mensuram autem bonam dabit, si certis temporibus vestras pro defunctis preces fideliter offeratis, et quae ex obligatione praestare pro iis tenemini, diligenter persolvatis; mensuram confertam dabit, si omnem honorum vestrorum operum fructum satisfactorium, quem aliis speciali titulo applicare non tenemini, pro iisdem offeratis, ut Sanctam Gertrudem supra fecisse diximus, et hodie etiam satis multi ferventes Christiani faciunt; mensuram cogitatum dabit, si illarum etiam Missarum, aliorumque piorum operum fructum, qui post mortem pro vobis offertur, liberatiter transcribitis, uti Patrem Ferdinandum Monsoio, et P. Franciscum Mastrillum utrumque e Societate Jesu, et alios nonnullos exemplo illorum inductos fecisse, et singulari charitate transcripsisse cognovimus; mensuram superfluentem dabit, si alios etiam ad similem misericordiam praestandam verbis vel exemplis vestris inducat, atque, ut Deus quam plurimis hunc misericordiae praestantissimae ac saluberrimae affectum instillare dignetur, frequenter et ardentem ab eodem postuletis; atque haec tandem est mensura perfectissima, juxta quam quisvis pro gratia sibi a Deo data misericordiam animabus mensurare poterit, certus, quod, qua mensura mensus fuerit, eadem illi remetienda sit olim misericordia, juxta illud Christi MATTH. V. *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.*

Epilogus.

Ego itaque id unum vobis pro clausula repleto: *Quomodo potueris, esto misericors;* atque ad hunc finem meminisse vos jubeo, quod Sanctus Augustinus serm. XXV. de verbis Domini dixit: « *Faecundus est ager pauperum, cito reddit donantibus fructum;* » id quod vel maxime velim de animabus dictum credi, vere enim haec praeter aliis faecundus ager sunt, quae illud Christi suo modo sibi jure applicare possunt: *Amen dico vobis, quod*

omnis, qui reliquerit opera sua propter nos, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit; in hunc ergo agrum, qui per tot cruciatus jam sulcatus aperit os, et clamat ad vos: *Miseremini mei,* etc. opera misericordiae juxta mensuram assignatam liberaliter projicite, ut vobis simili mensura remetatur Deus, et impleatur in vobis, quod Sanctus David Psalmo CXXVI. praedixit: *Mittentes semina sua (id est misericordiae opera animabus applicanda) ibant, et fiebant, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos, iisque cum animabus liberatis a se aeternum fruentur. Amen.*

Exemplar secundum.

In quo ostenditur, quomodo ex eadem sententia phres doctrinae deduci queant.

Thema.

Caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. LUC. XXV.

Scopus.

Consolatio afflictorum quorundam hominum.

Syllogismus principalis.

Spes magni premii et felicitatis omnia amara dulcia facit;
Atqui haec verba continent spem magni premii,
Ergo haec verba merito omnia amara, dulcia faciunt.

EXORDIUM

Solent honestiores et ditiores personae pleurumque secum myrothecia (*Balsambiclen*) circumferre, ut, si forte ipsi aut alii in deliquitum vel apoplexiam cadant, balsamo tali vires reparare, malumque a se auertere queant. Hanc industriam spiritualiter ego ab omnibus adhibendam censeo; omnes enim variis spiritualibus deliquis seu afflictionibus subjecti sumus, omnes timere merito debemus, ne apoplexia spirituali tacti, id est,

gravi infortunio afflicti exclamare cogamur, cum Sancto Job cap. XIX. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me,* omnes ergo spirituales myrothecia indigemus, quale quidem Christus veluti peritissimum animarum nostrarum medicus in verbis supra dictis obtulit; vere enim de his verbis fateri cogimur, quod si eorum sensus reconditus bene intelligatur, efficacissimum contineant balsamum, quo omnes anime afflictae non modice recreantur, id quod in presenti concione fuissem demonstrabo, si benevolas, ut soleo, aures breviter dicturo conceditis.

Narratio.

Quatuor potissimum genera afflictorum hominum reperio, nempe aegros, pauperes, contemptos, peccatores; pro hominibus his confortandis aptissimum continent balsamum citata verba.

Pars prima.

Nam primo pauperes quod attinet, quis nescit, quam multas et solatio plenissimas sententias Deus in Sacra Scriptura de pauperum felicitate protulerit? Quis enim ex pauperibus non singulare solatium percipiat, si meminerit, quam liberaliter illi Deus omnis ad sustentationem necessaria promiserit, cum dixit MATTH. VI. *Ne solliciti sitis animae vestrae, quid manducetis; neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est, quam esca, et corpus plus, quam vestimentum? Aspiciet volatilia caeli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et Pater vester caelestis pascit illa, nonne vos non magis plures estis his? Nolite ergo solliciti esse. Quae sit ergo primum regnum Dei et justitiam ejus; et haec omnia adjicientur vobis. Qui animo cadat, si meminerit, quod verba ista non praeteribunt, sed tanto fidelius implebuntur, quanto majorem nos in regno Dei et justitia ejus quaerenda diligentiam adhibuerimus? an forte pauperes non aequae ac divites regnum Dei quaerere possunt? sane, et tanto magis, quanto minus de divitiis, quae irritamenta malorum a non nemine appellantur, participant. Jam vero quem non consoletur, si meminerit, quod singularem Deum se pauperum curam promiserit habiturum? atqui hoc non*

semel in Sacra Scriptura pollicitus est, præcipue cum per Sanctum Davidem Psal. ix. edixit: *Tibi relictus est pauper: orphano tu eris adiutor.* Hinc idem propheta cum magna fiducia Ps. xxxix. dixit: *Ego vero egenus et pauper sum: Dominus sollicitus est mei.* Quem denique non roborent predicta verba, si meminerit in his contineri amplissimum præmium, quod Deus pauperibus paupertatem suam æquo et resignato animo ferentibus promisit? annon de illis dixit MATTH. v. *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum?* Annon de illis Psalmo ix. dixit: *Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem?* Annon ad pauperem dixit Apocal. ii. *Scio tribulationem et paupertatem tuam, sed dives es?* O si noscerent pauperes hoc balsamum sibi applicare, quam magnum inde solatium, ac robur referrent? quam parum deliquim et abjectionem animi ex paupertate sua timent! hoc balsamo jam olim Sanctus Tobias filium suum inunxit, ut cap. iv. Tobie legitur: *Noli timere fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene.* Meminerat nempe, quod olim Psalmista Psalmo xxxvi. dixerat: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum relictum; divites egerunt, et esurierunt, inquirentes autem Dominum, non deficiunt omni bono;* hoc etiam balsamo Sanctus Augustinus sermone xxxviii. de verbis Apostoli pauperes suos Auditores unxit, dum dixit: *Non displiceat tibi paupertas tua, quoniam nihil peccat ea ditius inveniri.* Hoc denique balsamo ipse Deus per Ecclesiasticum cap. ii. pauperes inunxit, dum dixit: *Confide in Deo et mane in loco tuo: facile enim est in oculis Dei subito honestare pauperem;* hoc ergo et vos, quotquot adestis afflicti pauperes, tum erga vos, tum erga liberos vestros utamini, ita tamen ut paupertatem vestram patienter feratis, et mandata Dei accurate servetis, et tunc audacter in eum sperate et ad eum accedite, et illud Sancti cujusdam viri dictum usurpate: *Fecimus, quod jussisti, reddo quod promisisti.*

Pars secunda.

Non minus vero præstantis et efficaciæ balsamum in myrothecio nostro pro ægris repe-

ritur: quis enim non roboretur, et ad patientiam excitetur, si in memoria revocet, quod Sanctus Paulus II. ad Corinth. i. dixit: *Id, quod est in presenti, momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis?* Quis sine solatio meminisse potest, quod idem ad Rom. vii. dixit: *Existimo, quod non sint condignæ passionibus temporis ad futuram gloriam, que revelabitur in nobis?* talem nempe, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit? Hoc sane balsamo Sanctus Stephanus usus est, et effecit, ut lapides durissimi sibi dulces fierent. Hoc usus est ipse Sanctus Paulus, et effecit, ut repletus esset consolatione, et superabundaret gaudio in omni tribulatione sua. II. ad Corinth. vii. Hoc ipse Christus usus est, dum proposito sibi gaudio tam fortiter sustinuit crucem. Hoc etiam usus est erga fidelem famulum suum Franciscum, dum inter gravissimos oculorum dolores patientiæ gratiam postulanti dixit: « Dolere, si omnis terra in aurum, si omnes lapides in uniones, omnis aqua in balsamum pretiosissimum verteretur, et hic tibi thesaurus promitteretur in præmium tuæ infirmitatis patienter tolerate, annon lætus tali promissione effeceris, atque ad ulteriorem patientiam animareris? » Cunque annueret ille, subjecit Christus: « Atqui infinitis tibi majorem thesaurum in cælo paratum scito, mi Franciscus, propter dolores tuos tam patienter toleratos; et hos ipsos dolores tibi tamquam arrham et pignus securæ felicitatis immisi. » Quo audito mire recreatus Franciscus cum patientia et alacritate deinceps omnes dolores sustinuit. O si et vos, o ægri, hoc balsamo diligenter uteremini, si interdum cum Sancto Adriano interrogaretis Martyres, quid expectarent, quod tam fortiter tanta tormenta sustinerent, et audiretis ab illis, quantam gloriam olim in oculis obtinebant sperent, profecto non morbos dumtaxat vestros patienter et cum gaudio toleraretis, sed etiam cum eodem Sancto Adriano in frusta conscindi gauderetis.

Certe Sanctus Chrysostomus dicere non est veritus, si quotidie milles moriendum, et ipsa gehenna toleranda foret, omnia convenit sustinere, ut Christum in gloria videres. Accinite itaque vobis indesinenter: *Verba mea non præteribunt*, inaginemini vobis adstare Matrem vestram Ecclesiam, et repetere verba, quibus olim inter tormenta Ma-

ter Machabeorum fortissima filium suum animavit dicens I. II. c. vii. *Petole, nate, ut aspicias ad cælum et terram, et omnia, que in eis sunt, ita fiet, ut non timeas Carnificem (et morbum) istum.*

Pars tertia.

Jam vero ut ad eos veniamus, qui propter contemptus et injurias sibi illatas affliguntur, hi præ aliis aptissimum balsamum in nostro myrothecio invenient. Hi enim invenient promissionem jam olim a Christo Matth. v. factam, dum dixit: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum.* O quam pretiosum balsamum latet sub his verbis! Id sane satis clare indicavit Christus ipse, dum Apostolos suos indixit, et contra contemptus et persecutiones armavit, dicens: *Beati estis, cum maledixerint vobis homines, et persecuti fuerint vos, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes propter me: gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Et sane ita per hoc balsamum roborati et confortati sunt Apostoli, ut de iis Sacra Scriptura Actor. v. dicat: *Ibant gaudentes in conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati.* Ubi bene notanda sunt verba illa: *Quoniam digni habiti sunt:* nam quis contumelias pro honore reputet aut acceptet? Quis dignitatem in contemptu latere putet? Sed nimirum ita judicant, qui carnali dumtaxat oculo contumelias aspicunt; aliud judicium ferunt, qui cum Apostolis interiora scrutantes merito contumeliarum perpressionem inter summas dignitates, quibus homo a Deo et hominibus in hac vita condecorari potest, numerant, utpote per quam ipsi Dei Filio tam horrendas contumelias perperso assimilantur. Nimirum *Spectaculum facti mundo, Angelis, et hominibus,* testante sancto Paulo, ad Corinth. iv. Nec refert, an stulti, an vero sapientis personam agamus, sed quam bene illam representemus; si ergo personam Christi contempti, illusi, et humiliati suscipiamus, et ad exemplum illius humilem nosmetipsos, et obediētes fiamus usque ad mortem contumeliosæ Crucis, annon bene actum nobiscum putabimus? Annon bene sperare poterimus, quod, sicut cum Christo nos humiliaverimus, ita cum eodem olim exaltandi simus? O si hanc veritatem bene

perpenderent, qui contumelias et contemptus tam ægre patiuntur, profecto non tot catenas et injurie in orbe toto reperiri possent, quin plures cum sancto Patre Ignatio exoptarent. Agite ergo, quotquot adestis tales, atque ad contemptus deliquia animose deinceps ferenda, hoc balsamo vos confortate; resolvite vos vel hodie ad personam Christi spreti et illusi suscipiendam. Dicite cum sancto Paulo: *Nos stulti propter Christum; maledicimur, et benedicimus, persecutionem patimur, et sustinemus; blasphemamur, et obsecramus, tanquam purgamenta hujus mundi; facti sumus omnium perpensa usque adhuc;* videbitur quidem non diffiteor, videbitur vobis ab initio difficile ac durum fame vestra ac honoris, que omnium vestrarum rerum præstantissimæ censetur, iacturam pati: videbitur durum alios vobis illudentes aspicere, nec se vindicare, injurias ac contumelias pati, nec se defendere posse, sed mentolote venturum aliquando tempus, quando etiam ab his honor iterum et fama cum favore restitutor, veniet, inquam, tempus, quo isti persecutores et illurosos vestri, ut Salomon Sap. v. prædixit: *Turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione inspiratæ salutis dicentes intra se, et penitentiam agentes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem impropriet. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, et vitam illorum sine honore. Ecce quomodo computati sint inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. Verbo: Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.*

Pars quarta.

Sed ut finem tandem faciamus, et ad ipsos etiam peccatores consolandos accedamus, alo hos vel maxime optatum balsamum in myrothecio nostro reperire; neque hic longus erit in sententiis Sacra Scriptura pro horum consolatione referendus, unica illa solatio plenissima Dei adhortatio per Ezechielem Prophetam cap. xviii. ad peccatores facta, quem non soletur? Quem non roborat, quem non ad fiduciam de peccatorum remissione concipiendam, penitentiamque agendam animet? sic ergo loquitur: *Convertimini, et agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes ves-*

tras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum, et spiritum novum; et quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus: revertimini et vivite. Vultis autem scire, quantum desideret conversionem peccatoris? Audite Taulorum id vobis explicantem: « Hæc est, inquit, Domini misericordia, ut stупpa aliqua in immenso igne posita non tam cito incendi possit, quam ipse peccatori vere dolenti peccata omnia condonare paratus est. » Idem Henricus Suso confirmat sequentibus verbis: « Nunquam ulla quamlibet et fidelissima mater proprio filio suo, quem sub corde gestavit, tam desideranter ac libenter in mediis flammis jacenti manum porrigere adjutricem, sicut Deus homini contrito, etiamsi possibile foret, cum omnia peccata totius mundi, vel millenis vicibus quotidie perpetrasset. » Hoc videlicet est, quod Deus per Jeremiam cap. iii. indicavit ad animam peccatricem dicens: *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me dicit Dominus, et suscipiam te.* Hoc est, quod Servator ipse MATTH. vi. confirmavit, dum omnes peccatores tam amice ad penitentiam admonet dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos, jugum enim meum suave est, et onus meum leve;* quod quæso cor humanum adeo durum esse potest, quod per tam amicam invitationem non emolliatur? Quis adeo desperatus esse potest, ut per hanc benevolam promissionem in spem non erigatur? audite, quæso, hæc de re memorabilem historiam, ex eaque balsami hujus efficaciam colligite. Legitur ea in vitis Patrum lib. V. n. xxxviii. sequentibus verbis descripta: Frater quidam impugnabatur a fornicatione; contigit autem venire in vicum quemdam Ægypti, ubi videns filiam Sacerdotis Paganorum adamavit eam, dixitque patri ejus: « Da mihi eam in uxorem. » Ille autem respondens dixit ei: « Non possum eam tibi dare, nisi rogavero Deum meum, » et abiens ad Dæmonem, quem colebat, dixit ei: « Ecce Monachus quidam venit ad me, volens accipere filiam meam, do ei eam? » Respondens Dæmon dixit: « Si negat Deum suum, et Baptismum, et propositum Monachi, interroga eum. » Et veniens Sacerdos dixit ei: « Nega Deum tuum, et Baptismum, et propositum Monachi, et dabo tibi filiam meam; » ille vero consensit, et statim vidit exire columbam de ore ejus, et volare in

cælum. Pergens autem Sacerdos ad Dæmonem dixit: « Ecce promisisti se tria illa facturum; » tum Diabolus respondens dixit: « Non des ei filiam tuam in uxorem, quia Deus ejus non recessit ab eo, sed adhuc juvabit eum. » Et veniens Sacerdos dixit illi fratri: « Non tibi possum eam dare, quia Deus tuus adhuc adjuvat te, et non recessit a te. » Hæc audiens frater dixit intra semetipsum: « Si tantam bonitatem ostendit in me Deus, cum ego infelix negaverim ipsum, et Baptismum, et propositum Monachi: bonus autem Deus etiam malum nunc usque adjuvat me, cur ergo recedam ab eo? » Et in semetipsum reversus recepit sobrietatem mentis, et venit in Eremum ad magnum quemdam senem, et narravit ei, quæ fuerant acta, et respondens senex dixit ei: « Sede mecum in spelunca, et jejuna tres hebdomades, et ego deprecabor Deum pro te, » et laboravit senex pro fratre, et deprecatus est Deum dicens: « Obsecro Domine, dona mihi animam hanc, et suscipe penitentiam ejus, » et exaudivit orationem ejus Deus, et cum completa fuisset prima hebdomada, venit senex ad fratrem illum, et interrogavit illum dicens: « Vidisti aliquid? » et respondens frater dixit: « Vidi columbam sursum in altitudine cæli contra caput meum stantem; » et respondens senex dixit ei: « Attende tibi metipsi, et deprecari Deum intende. » Secunda vero hebdomada venit senex iterum ad fratrem, et interrogavit eum dicens: « Vidisti aliquid? » et respondit: « Vidi columbam aliquam juxta caput meum venientem. » Et præcepit ei senex: « Sobrius esto mente, et ora; » et completa tertia hebdomada venit iterum senex, et interrogavit eum dicens: « Aliquidne plus vidisti? » Et ille respondens dixit: « Vidi columbam, quæ venit, et stetit supra caput meum, et extendi manum meam ut tenerem eam, illa autem surgens intravit in os meum; » et gratias agens senex Deo dixit fratri: « Ecce Deus suscepit penitentiam tuam; de cætero attende semetipsum, et esto sollicitus; » et respondens frater dixit: « Ecce a modo tecum ero, donec moriar. » Ecce peccatores vim balsami nostri; utamini ergo et vos pari modo, et parem effectum experiemini.

Epilogus.

Sed claudo concionem, et omnes ad usum hujus mythœci verbis Thomæ Kempensis lib. III. c. xvii. adhortor: « Fili mi, non te frangat labores, quos assumpsisti propter me, nec tribulationes te dejiciant usquequaque, sed mea promissio in omni eventu te roboret, et consoletur. Age, quod agis, fideliter labora in vinea mea, sustine viriliter contraria, digna est his omnibus et majoribus preliis vita æterna; ibi invenitur omne quod volueris; ibi nullus resistet tibi, nemo impedit sed cuncta desiderata simul erunt presentia, totumque affectum tuum reficient, et adimplebunt usque ad summum: ibi reddam gloriam pro contumelia perpessa, pælium laudis pro microne, pro loco novissimo, sedem regni in sæcula, ibi apparebit fructus penitentiae (et dolorum) et humilis subjectio (seu patientia in contemptu) coronabitur gloriose. Memento horum, fili mi, verborum: Beati qui audiunt Verbum Dei, et custodiunt illud: Cælum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt. »

Exemplar tertium.

In quo ostenditur, quomodo per parabolam aliqua doctrina inculcari possit.

Thema.

Tunc videbunt Filium Homini venientem in nube cum potestate magna et majestate. LUCCÆ XII.

Scopus.

Persuadendum Auditoribus, ut temporis habeant rationem accuratam.

Syllogismus principis.

Illius rei merito magna est habenda ratio, cujus olim severissima a Deo ratio exigitur. Atqui tale, quid est tempus, ergo temporis magna est habenda ratio.

TOMUS V.

EXORDIUM.

Solent ii, quibus examen aliquod subeundum est, ante omnia sollicitè indagare, de quibus rebus examen sit instituendum, atque ad eas questiones se totis viribus preparare, quod etsi non semper sit licitum, maxime ubi concurrunt multi, et pro loco vel honore certant, uti in Academicis gradibus suscipiendis contingit: respectu tamen ultimi examinis, quod nobis omnibus subeundum est, non modo non vetitum est, sed neque diu etiam indagare oportet, de qua re potissimum responsuri simus, nam id iam pridem anima quædam damnata manifestavit, ut Discipulus ser. iii. narrat: « Cum enim homo quidam devotus orationi esset intentus, subito vocem quamdam valde lugubrem audivit, quam ubi quæsit, quisnam esset, et qua de causa lugeret; respondit ei, qui lucebat, animam damnatam se esse, sequè et omnes reliquos damnatos nullam adeo rem deplorare, quam temporis jacturam, utpote in quo tanta mala tam facili labore evitare, tantaque bona comparare potuissent. » Ne ergo et nos simili modo lugere cogamur, ostendam in præsentii concione per aptam parabolam, quam grave sit delictum tempus otiose perdere, simulque docebo, quo modo tempus illud deinceps melius insumere, imò etiam perditum, quodammodo recuperare possimus. Spero proinde audientiam tanto majorem, quanto utilior est materia et doctrina, quam vobis sum propositurus.

Propositio parabola.

Erat quidem Rex et dignitate, et sapientia clarissimus, hic cum forte per fenestram aulae suæ prospiceret, vidit infantem pulcherrimum in luto ante fores palatii jacentem, ejusque pulchritudine captus, et misericordia motus, jussit quamprimum eum ad se deferri, et quod inauditum est a cunctis sæculis, postquam venam sibi aperiri jussit, aquam sanguine miscuit, propriisque manibus a sordibus abluit; deinde uni ex primariis suis Aulicis educandum, instruendum, et custodiendum commisit, qui quidem officio suo præclare functus est, optimisque præceptis clientem suum imbuat; postquam autem ad aetatem suam hic pervenit, et pro officio fugendo

aptus est visus, pinguissimum ei telonium Rex commisit, prope quod mercatores ditissimi transibant, et maximum telonium pendere debebant, de quo quatuor partes ipsi telonario reliquit, unicum solum sibi reservavit, et suo tempore offerri jussit, simulque centuplo majora bona, imo regnum omni bonorum genere fortunatissimum promisit, si fideliter hoc munus suum administraret; quem tanta Regis liberalitas et charitas non ad amorem et summam in administrando munere diligentiam atque alacritatem excitare debuisset? Excitavit sane et telonarium, ut ab initio aliquamdiu cum magno fervore suum munus obiret, sed hominis nequissimi fraudibus circumventus paulo post remisit; erat enim in loco illo carnifex, homo vaferrimus, et ad seducendos homines alios instructissimus, qui invidens telonario tantam fortunam, omnem lapidem movit, ut eum gratia Regis et officio suo privaret. Ea de causa per filium suam, quam habebat formosissimam, munera quaedam hortensia honoris causa submittit, quae dum telonarius frequentius accipit, conjectis in filiam portantem oculis amore illius exardescere coepit, et tandem per familiarem conversationem ita captus est, ut nihil amplius de telonio suo sollicitus, totum se consuetudini amasiae suae impenderet: moneatur a suo amico, monetur a custode, monetur ab aliis amicis, de fraudibus, de officii obligatione, de metuenda Regis displicentia, de castigatione, sed in cassum; advertens ergo Rex telonii partem sibi reservatam non offerri, mittit famulos, qui rationem reddere jubeant et de fidelitate inquirant. Sed is ut patientiam secum Rex habeat, rogat, seque omnem partem de telonio illi debitam suo tempore oblatum promittit; sed nihil minus praestitit, redeunte scilicet amasia, et ad pristinos amores et socordiam pertrahente. Venit ergo Rex ipse occulte sub alienis vestibus, instruit convivium, hortatur ad emendationem, sed is iterum antiquam cantilenam canere pergit, promittit emendationem, sed non praestat, peior factus post visitationem, quam ante fuerat. Itaque iratus Rex mittit iterum alios famulos, gravesque poenas, et ipsam officii privationem minatur, nisi respiciat, sed is parum curat omnia, jubet ergo semel iterumque eum castigare, filiamque carnificis domo expelli, sed quo molestior erat privatio, tanto magis inflatus est amor, vitaeque omnes ardentius tentatae ad pristinam consuetudinem repetendam. Ergo videns Rex actum se agere,

misit tandem apparatus suum, qui telonarium tam negligentem primo quidem arcetissimo carcere concludere, deinde vero etiam judicio publice instituto sistere est jussus; quam sententiam accepit, nolo ego hic certa de causa explicare, illud vero a vobis intelligere volo, Auditores, si vos a dicto Rege in assessores ac iudices electi fuissetis, quam vos de illo sententiam tulissetis? annon omnes unanimi voce sententiam in haec verba concepissetis: amoveatur a telonio, et quia reus est mortis, occidatur; et recte profecto iudicatis, sed vereor, ne contra vos sententiam tuleritis. Certe quisquis peccator est! (quis autem talem se non confiteri cogetur?) similem, imo graviozem negligentiam et ingrati animi vitium commisit.

Applicatio parabole.

Tu ergo, tu, o peccator, tu es ille vir, tu telonarius es iste, annon tu in luto nihili jacebas? Annon te Christus Rex caeli et terrae potentissimus ex nihilo tuo per creationem eduxit, et te per redemptionem sanguine ex latere suo alisque vulneribus fluente et aqua Baptismali lavit? Annon tibi unum ex primariis aulicis suis, sanctum Angelum, inquam, custodem, pro moderatore assignavit? Annon te per eum educari usque ad rationis usum, et potenter custodiri fecit? Annon tibi subinde telonium, id est, opera meritoria eliciendi occasionem praestantissimam obtulit? Annon de his operibus quatuor partes tibi, fructum scilicet meritorium, satisfactorium, impetratorium, et consolatorium, id est, gaudii ex talibus operibus et bona conscientia oriri soliti liberaliter reliquit, sola quinta parte fructus gloriae et honoris sibi retenta? Annon tu brevi quidem tempore telonium hoc bene administrasti, et a peccatis te aliquantulum continuisti, sed paulo post ab infernalis carnificis filia, concupiscentia, inquam, inordinata voluptatum et honorum seductus, telonium tuum, id est, occasiones merendi neglexisti, tempus otiosae cogitationibus, verbis, factisque male impendendo? Considera peccator, obiterque mente revolve, quae conditiones ad opus meritorium requirantur, nempe ut de se malum non sit, ut fiat in statu gratiae, et ut per bonam intentionem ad Deum dirigatur. Examina nunc ulterius, quomodo ab eo tempore, quo rationis usum accepisti, has conditiones observaveris, annon deprehendes, te multa in se mala, multa extra statum gra-

tiae, pleraque sine legitima intentione fecisse? Annon de hac negligentia serio emendanda te frequenter per occultas inspirationes sanctissimus et fidelissimus tuus monitor Angelus custos monuit? Et quid aliud respondisti, nisi esse adhuc tempus, te in fine vitae serio poenitentiam acturum? Annon misit famulos suos ad te clementissimus Deus, Superiores, inquam, Confessarios ac Concionatores, parentes, amicos, socios, qui te verbo et exemplo ad emendationem sunt hortati? Et tu quid ad haec? An poenitentiam egisti? Annon ipse Christus sub speciebus Eucharisticis aliquoties te invisit, et convivium praestantissimum sanguine suo, corporeque instruxit? Annon suaviter tibi errorem tuum ostendit, annon tibi illa Ecclesiastici verba repetivit: *Fili mi, peccasti, non adjicias iterum*, et quid tu? Vix sumpto corpore abiisti ad tuam concubinae, concupiscentias, inquam, tuas, et cum ea insidias tanto benefactori tuo parasti. Annon aliquoties Deus gravissimas poenas tibi per occultas inspirationes, per libros, Concionatores, et Confessarios comminatus est? Annon te morbis, alisque tribulationibus castigavit, et hoc medio ad emendationem perducere statuit? Annon vero haec frustra fuere? Annon post haec omnia deterior es factus, quam antea fueras? Annon ergo grave a te delictum commissum esse fateris? Annon acquissimum esse iudicas, ut sententiam, quam de altero tulisti, tibi ipsi applices? Annon jure tibi dicis: Reus est mortis: removeatur a telonio, id est, vita praesenti? Atque utinam jam non in multis impleta esset sententia haec! Cur enim tot juvenes immatura et violenta morte absumptos putas? Certe non alia ex causa, quam quia tempus sibi concessum tam male impenderunt; si ergo in te necdum lata fuit haec sententia, annon per hoc singulare beneficium accepisti, et motivum majus ad errorem tuum hunc et negligentiam serio emendam?

Vis autem scire, quid agere debeas? tria tibi agenda aio. Primo, ut ad genua summi hujus benefactoris cum summa humilitate prociidas, veniamque praeteritorum peccatorum corde contrito pelas, dicens cum sancto Davide: *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, sed cito anticipent nos misericordiae tuae, quia pauperes facti sumus nimis*. Ducas etiam cum servo illo negligente: *Domine poenitentiam habe in me, et omnia reddam tibi*.

Secundo, ut illud sancti Pauli consilium

sequaris, quod olim Ephesis c. v. dedit dicens: *Videte, fratres, quomodo caute ambulatis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes redimentes tempus*; ubi scio verba haec: *redimentes tempus*: plerumque de futuro tempore explicari, sed ego ausim etiam de praeterito explicare, atque adeo ostendam tibi, o peccator, artem, quomodo etiam praeteritum tempus revocare possis. Dic ergo, annon existimas olim sanctum Jobum, dum omnium suorum honorum jacturam tam aequo animo a Deo accepit, dixitque: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Dominus placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*, dic, inquam, annon credis Deo hunc actum singulariter placuisse, meruisseque, ut omnia dupliciter ei restituerentur? Quæro nunc ulterius, annon jacturam temporis potiore iudicas quacunque alia jactura, juxta illud poetae:

Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus,
Damina flet rerum, sed plus flet damna dierum.

Si ergo patienter hanc jacturam feras, et dicas: Mi clementissime Deus, dedisti mihi tam nobile tempus, iterumque abstulisti, permittens, ut illud inutiliter, proh dolor! impenderem; sicut tibi Deo meo placuit, ita factum est; sit nomen tuum Sanctissimum in saecula benedictum: annon per hunc actum et tu suo tempore recuperabis perditum tempus, id est, praeteritam negligentiam resarcies! ita profecto, maxime si etiam (quod tertium inde caput a te observandum) occasionem inde arripias tempus reliquum vitae tuae utiliter expendendi, atque adeo illud dictum Ecclesiast. c. xiv. tibi applices: *Ne defrauderis a die bono, et particula boni doni non te praeterat*: cumque in finem status, primo omnes conditiones ad opus meritorium requisitas, studiose observare; deinde non tantum communem, sed optimam intentionem iisdem praefigas, illud Sancti Davidis I. Reg. xxix. usurpando: *Totis viribus preparavi impensas domus Domini* (vel istam aut illam actionem feci) *non enim homini preparatur habitatio, sed Deo*.

Epilogus.

Sed claudio tandem concionem, omnesque serio adhortor, ut saltem, quod reliquum est temporis ad vivendum concessi, ita impendere studeant, ut nec momentum sibi

clabi aut transire permittant, quin ab eo vectigal boni operis exigant; eum in finem verbis illis S. Pauli Rom. xii. vos compello: *Frater hora jam est, nos de somno surgere, ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis, nox processit, dies appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum* (id est, hujus vite, quia nihil ad salutem conducunt): *et induamus arma lucis, tempus fructuose et honeste impendendo, ut tandem aliquando et nos cum servo fidei audire possimus illud optatissimum elogium: Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa, id est, super totam æternitatem felicissimam te constituam, intra in gaudium Domini tui. Amen.*

Exemplar IV.

In quo ostenditur, quomodo doctrina aliqua per historiam inculcari possit.

Thema.

Benedixit illos, et jussit apponi. MARC. VIII

Scopus.

Cur et quomodo benedictio Dei procuranda?

Syllogismus principalis.

Illud est singulari studio procurandum, quod maxime conducit ad omnium actionum nostrarum felicem successum obtinendum; atqui tale quid est Benedictio divina; ergo hæc singulari studio procuranda est; atqui ad eam obtinendam præcipue servit bona intentio actionibus nostris præfixa, ergo hæc actionibus nostris præfigere debemus.

EXORDIUM

Amant circulatorum quendam fuisse, qui quondam promiserat, se sequenti die omnibus ad forum confluentibus dicturum, quid quisque maxime desideret et optet, cumque sequenti die ingens multitudo confluisset, dixisse illum: Hoc est, quod omnes

desiderant, vili pretio multa posse emere; quod dictum quidem risu exceptum, quia tamen verissimum erat, etiam tacito assensu probari debuit. Verum licet negari non potuerit veritas hujus dicti, ego tamen existimo, multo magis desiderari ab omnibus medium aliquod efficax, per quod multa vili pretio emi possint; quia itaque non dubito et vos, Auditores, simili desiderio teneri, ostendam vobis in hac concione simile medium, et ut illud deinceps tanto diligentius constantiusque usurpetis, illius efficaciam memorabili historia demonstrabo; spero proinde, vos tanto attentius dicentem audituros, quanto dignior auditu est historia, et quanto amplior est fructus, quem ex ejus narratione sperare potestis.

Narratio Historie.

Narrat P. Mathias Faber in auctario in festo S. Annæ them. iv. n. 5. et Surlus vii. Jan. c. xiv. memorabilem prorsus historiam in hæc verba. Alio in tempore quidam ad S. Columbam (Præbyterum Scotum confessorum, in cujus vita hæc historia legitur) plebeus venit pauperimus, qui in ea habitabat regione, que stagni littoribus Aporici est contermina, huic ergo miserabili viro, qui, unde parvulos cibaret, non habebat, vir beatus misertus, petenti, ut potuit, quandam largitus eleemosynam ait: « Miselle homuncio, tolle de sylva vicina fustem, et ad me citius defer. » Obscurandus miser juxta Sancti jussionem detulit materiam, quam Sanctus accipiens in veru excauit, quamque proxima manu benedicens, et illi assignans inopi dixit: « Hoc veru diligenter custodi, quod, ut credo, nec homini nec alieno pecori nocere poterit, exceptis feris, bestiis, et piscibus; et quandiu talem habueris sudam, nunquam in domo tua cervinæ carnis libatio deerit abundans, » quod audiens miser mendicus valde gavisus est; domum revertitur veruque in remotis terra infixo locis, que sylvestres frequentabant fere, et vicina transacta nocte mane primo pergit visitare violans veru, in quo miræ magnitudinis cervum cecidisse reperit transmissum, quid plura? Nulla ut nobis traditum est, poterat transire dies, qua non aut cervum, aut aliam reperiret in veru transfixam feram, repleta quoque de feris carnibus domo vicinis superflua vendebat, que

hospitium suæ domus capere non poterat; sed tamen Diaboli invidia per sociam, ut Adam, hunc etiam miserum invenit, qua non quasi prudens, sed fataliter ad virum locuta est: « Tolle de terra veru, nam si in eo pecudes aut homines perirent, tu ipse et ego cum liberis nostris aut occidemur, aut captivi duemur. » Ad hæc maritus ait: « Non ita est, nam Sanctus vir veru benedicens dixit, quod nunquam hominibus aut pecoribus noceret. » Post hæc mendicus uxori consentiens pergit, et tollit de terra veru, intrat domum, quasi amens illud secus parietem posuit, in quo mox domesticus ejus incidens canis disperiit, quo pereunte rursus marita: « Unus, inquit, filiorum tuorum incidet in illud, et peribit, » quo auditu ejus verbo maritus veru de pariete removens ad sylvam portat, et in densioribus fixit dumis, ut putabat, ubi à nullo posset ostendi, sed postero reversus die caeam in eo cecidisse, et periisse reperit, idque quoque illud removens in fluvio, qui Latine potest dici nigra Dea, juxta ripam sub aquis abscondens infixit, quod alia revisitans die Ælocem (ein Salming) miræ magnitudinis in eo transfixum et retentum invenit, quem de flumine elevans vix solus ad domum portare poterat, veruque simul secum de aqua reportans extrinsecus in superiori tecti affixit loco, in quo corvus de volatus impetu lapsus disperiit, et jugulatus est, quo facto miser fatuus conjugis consilio depravatus veru tollens de tecto sumpta securi in plures conscindens particulas, in ignem coniecit, et postea quasi sua paupertatis amisso medio in solatio revindicare, ut mendicus cepit.

Applicatio historie.

Hæc historia pulchram offert occasionem, divinæ benedictionis magnitudinem et efficaciam demonstrandi, simulque modum, quo multa vili pretio comparare possitis, ostendendi, si enim hujus Sancti benedictio tantam habuit vim, ad indigentiam hujus pauperuli sublevandam, quantam ipsius Dei benedictio virtutem habitata est? Si Jacob Patriarcha GENESIS XXX. ad Laban scerum suum dixit: *Modicum habuisti, antequam venirem ad te, et nunc dives effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum: si propter arcam Domini Deus Obededon et*

totam illius domum benedixit, ut II Reg. vi. legitur, quid non sperare poterit is, qui per ipsum figuratum scilicet Christum benedictur, qui vere de se dixit IOAN. xv. *Sine me nihil potestis facere; et qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum; ad cuius benedictionem Apostoli mittentes retia sua tam copiosam multitudinem piscium ceperunt; annon vere de ejus benedictione implebitur illud Prov. x. *Benedictio Domini divites facit, et non sociabitur eis afflictio. Credo equidem vos non dubitare amplius quin benedictio hæc magnam habeat efficaciam ad felicem conatibus vestris successum impetrandum; quomodo autem talem benedictionem impetrare possitis, nosse fortassis desideratis? Respondeo, non melius, et citius vos eam obtenturos, quam si similem in corde baculum spiritualiter figatis, id est, sinceram intentionem solius gloriæ divine quaerendæ, qua intentio per acumen dicti baculi significatur, operibus vestris præmittatis, et sedulam cooperationem, quam inferior crassiorque pars baculi designat, conjugatis; ita jam olim videtur CANT. viii. sponsus sponsæ suæ suasisse, dum dixit: *Pone me ut signaculum super cor tuum* (per bonam et puram intentionem) *ut signaculum super brachium tuum* (per sedulam cooperationem); ita et Apost. i. ad Corinth. idem suasit, dicens: *Sive manducabitis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite; quam totam doctrinam bene non nemo his duobus verculis expressit.***

Willst Sachen viel von Gott erhalten?
Meins gut: thue, was konst, lass Gott wallen.

De talibus nempe implebitur illud S. Pauli II. Cor. vi. *Qui seminavit in benedictionibus, de benedictionibus et metet; id quod clarus S. Jeremias c. iv. indicavit dicens: *Benedictus, qui concedit in Domino, et Dominus fiducia ejus, et erit quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, et non timebit cum venerit aestus, et erit solum ejus viride, et in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum; et hæc videlicet causa est, cur multi tam parum felices successus in officiis suis habeant quia scilicet hæc media ad benedictionem Dei obtinendam non adhibent; miramur interdum, cur iste vel iste Concionator vel Parochus tam parvum fructum in salute animarum faciat, cum tamen tot tantosque labores sus-**

cipiat; sed in promptu causa est, quia non Dei, sed suam gloriam querit, ita expertus Melchior Nummius ex Soc. Jesu insignis operarius et Indiae Provincialis, qui, licet in Japonia primum, deinde vero ad Sinas usque Evangelii prædicandi causa profectus sit, nullum tamen aut exiguum fructum fecit, quia, ut historia Soc. Jesu part. I. c. xv. n. 184. indicat, non superiorum nutu, sed suæ pietatis sociorumque et Regis impulsu iter illud suscepit: mirantur pariter alii, cur huic vel illi familie nihil prospere succedat, cur in tanta inopia vivat, licet diu noctuque non parcat labori; in promptu causa est, non adfuit bona intentio in statu matrimonii, magisque voluptas, quam multiplicatio divinae gloriae, et humani generis queritur in usu conjugii; sed et in laboribus non tam in divino auxilio, quam propriis viribus, et humanis remediis ponitur finis, hinc experiantur tales id, quod Deus per Jer. cap. xvii. minatus est: *Maledictus homo, qui confidit in homine, erit enim quasi myrica in deserto, et non videbit, cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate. in deserto, in terra saluginis et inhabitabili;* hinc merito iterum Deus adhortatur tales per Aggeum c. i. dicens: *Ponite corda vestra super vias vestras; seminastis multum, et intulistis parum; comedistis, et non estis satiati; bibistis, et non estis inebriati, et qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum: respexistis ad amplius, et ecce factum est minus, et intulistis in domum, et exfluxit illud, propter quid dicit Dominus exercituum. Quia domus mea deserta est, et vos festinatis unusquisque in domum suam: propter hoc vobis prohibiti sunt caeli, ne darent rorem, et terra prohibita ne daret germen suum, et vocari siccitatem super hominem, et super omnem laborem hominum.*

Neque dicat quispiam, idem etiam multos experiri, qui tamen supradicta capita accurate observant; nam respondeo, etsi ab initio non statim appareat hæc benedictio, tamen suo tempore certo collatum iri; ita Salomon Prov. x. testatur: *In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in certissimo, et presolatatio tua non auferatur, hoc mirum est, quod S. David in Ps. i. dixit: Beatus vir, cujus est in lege Domini voluntas ejus, et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus cæcurns aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo; habet se nempe semen justorum et peccatorum, sicut semen*

bonum, et malum in hyeme sub terra latens, ubi neutrius fructus apparet, sed expecta ætatem, et apparebit, quam utrumque frugiferum fuerit; ita expertus Joseph Patriarcha tot annis in carcere latens, et tandem cum tanto honore eductus; ita Tobias cui cognati cum irrisione prius dicebant: *Ubi est spes tua, pro qua elemosinas et sepulturas facis;* ita omnes alii quotquot bene agentes in Domino sperarunt, ut adeo recte dixerit Eccl. c. n. *Respicit filii rationes hominum et scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est; quis invocavit eum, et despectus.*

Epilogus.

Sed finio tandem concionem, et in ipsius omnipotentis Dei nomine illis Deuter. ii. c. a Moysè prolatis verbis vos alloquor: *Et propono in conspectu vestro hodie benedictionem, si obedieritis mandatis Domini Dei vestri, quæ precipio vobis; maledictionem si non obedieritis mandatis Domini Dei vestri, sed recesseritis de via, quam ego nunc ostendo vobis; sequimini ergo cum cum hodierna turba per triduum fidei spei et charitatis credentes, quod possit; sperantes, quod velit, et diligentes, ut velit suam benedictionem vobis largiri; et Beati profecto, qui ambulat in viis ejus, teste S. Davide Psal. cxxii. In labore manuum tuarum manducabitis: Beatus es et bene tibi erit: manducabitis et saturabimini, hic, quia nihil deerit; ibi, quia apperebit gloria ejus; ita ego ex animo omnibus opto ideoque dico cum S. Davide Ps. cit. Benedicat tibi Deus ex Sion, et videas bona Jerusalem omnibus diebus vite tue. Amen.*

Exemplar VII.

In quo ostenditur quomodo moralis lectio in concione institui possit.

Thema.

Petite et accipietis, JOANN. XVI.

Scopus.

Varii errores circa orationem committi soliti detegendi et corrigendi.

Nota cum variæ doctrinæ hæc in concione proponende sint iterum, principalem syllogismum fieri non posse.

EXORDIUM.

Solent nonnunquam in religiosis Ordinibus lectiones morales institui, id est, exhortationes aliqua haberi, quarum potissimum scopus est, errores circa aliquam actionem a Religiosis committi solitos detegere, simulque eorum radicem et modum corrigendi ostendere, et testatur experientia, quod ex ejusmodi exhortationibus, sicut ad praxim præcipue ordinantur, ita non modicus fructus percipiatur; quare et ego hodie similem lectionem institui, et pro materia orationem sumam, utpote actionem tam necessariam et utilem, ut S. Aug. i. iv. non horruerit dicere, eum recte nosse vivere, qui recte novit orare, ut adeo merito omnes errores circa hanc actionem committi soliti studiosissime sint devitandi, quod quidem, qua ratione fieri possit, et debeat, in presenti Concione docebo, si benevolas, ut soletis, mihi aures præbueritis.

Error primus.

Primus error est eorum, qui nimis parum æstimant orationem, atque integris interdum diebus vix unum aut alterum Pater et Ave recitant. Hi profecto nesciunt, quam necessaria ac fructuosa sit oratio; audiant proinde S. Aug. lib. x. de miser. dicentem: *Quid oratione præclarior? Quid vitæ nostræ utilius? Quid animo dulcius? Quid in tota nostra religione sublimius?* Clarior S. Chrysost. l. II. de orando Deo: *Quanta tibi est, inquit, commissa felicitas, quanta gloria attributa, confabulari orationibus cum Deo, cum Christo miscere colloquia, optare quod velis; quod desideras, postulare; et quid melius, annon ipse Servator JOAN. XVI. dixit: Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis; unde recte colligunt S. Patres, nullum hominibus beneficium aut gratiam aliter, quam per orationem obvenire, atque adeo sicut optimum est signum prædestinationis ad vitam æternam, si quis bene, ad orationem affectus sit, ita pessimum esse indicium, si ab ea animum suum abhorreere advertat, id quod S. Chry-*

sost. diserite memorabili hæc sententia judicavit lib. I. de oratione de Deo. *Cum videro quempiam non amantem studium orandi, nec hujus rei fervida vehementer cura teneri, continuo mihi palam est, eum nihil egregie dotis in animo possidere, et quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, et via caret, expersque sanæ mentis est; nam hoc ipsum evidentissimum est argumentum amentia, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare deprecandi studium.*

Quicumque ergo huic errori se obnoxium advertit, is serio emendare eum studeat, et quemadmodum ægris convalescentibus, et fastidium ciborum patientibus, ut paulatim recipient ipsum appetitum erga cibos, ab initio in parva quantitate is offertur, ita et ipse assuefaciat se ab initio per paucas orationes, quæ mane et vesperi, ante et post mensam, ad signa salutacionis Anglicæ, sub Missæ sacrificio peragantur, nec dubitet, se paulatim majorem appetitum concepturum, et insignes ex longioribus orationibus fructus solatiumque reportaturum.

Error secundus.

Error secundus est eorum, qui nimis multum orationem æstimant, et omnem suam sanctitatem in oratione consistere putant, ideoque graviter turbantur et anguntur, si quandoque propter negotia domestica, vel etiam morbos ab oratione impediuntur; cui errori mulieres præcipue sunt obnoxie, quæ quoties novas precibus vel indulgentias propositas, vel congregationes exortas audiunt, statim illas suscipiunt, etsi frequenter per eas rem domesticam non sine maritorum gravi indignatione negligant; hæc ergo et omnes alii, qui huic errori obnoxii sunt, meminisse debeant, quod Christus MATT. VI. dixit: *Orantes nolite multum loqui, sicut Ethnici faciunt, putant enim quod in suo multiloquio exaudiantur:* sciunt proinde, sicut ipsis gratis est, si pauci cibi boni et bene cocti opponantur, quam si multi et pessime præparati offerantur; ita Deo quoque et Sanctis gratis fore, si pauca orationes attente, ferventer, et constanter peragantur, quam si multe sine debita attentione et reverentia recitentur. Hinc B. Virgo olim ancille cuidam integrum quotidie Psalterium cursim et celeriter recitanti suasit, ut non-

nisi minus rosarium quinquaginta salutationibus constans devote recitaret. Deinde vero notent diligenter tales, non tantum eas orationes, quae ore peraguntur, sed etiam opera nostra ex voluntate Dei et obedientiae praescripta peracta esse optimam orationem et laudem Dei. Ita jam pridem Eccl. c. lv. indicavit dicens: *Qui conservat legem, multiplicat orationem*; id quod S. Hilarius pulchre suis verbis confirmat in Ps. l. « Per hanc efficitur, ut sine intermissione oremus, cum per opera Deo placita, et in gloria ejus semper exercita, Sancti cujusdam viri vita omnis oratio sit, ac sic legem Dei die noctuque vivendo vita ipsa nocturna legis erit, et diuturna meditatio. » Brevius S. August. in Ps. xxxiv. « Vis medium semper laudandi quidquid egeris, bene age, et laudasti Deum: » et vero ex vobis ipsis id facile colligere potestis, annon enim si duo aliquid a vobis impetrare vellent, et alter quidem verbis multis et elegantibus id peteret, alter autem multa opera valde vobis grata et honorifica prestaret, facilius vos per hunc quam per illum flecti sineretis? Simili autem modo se res cum oratione vocali et operibus habet; itaque suadeo talibus, ut cum consilio Confessarii aut alterius prudentis viri selectam faciant orationem (*ein Musterung*) et primo quidem ante omnia statuunt necessarias orationes, id est, ad quas ex precepto vel voto tenentur, accurate peragere; deinde eas, si possunt, adiciant, ad quas vel ex consuetudine pia Christianorum, vel ex legibus Congregationum tenentur, licet absque peccato. Et tandem pro temporis et occasionis qualitate alias voluntarias addant illud S. Tobiae consilium c. iv. semper ob oculos habentes: *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude.*

Error tertius.

Error tertius est eorum, qui nimium augentur propter distractiones, quas in oratione, licet involuntarie patiuntur, putantque adeo melius esse non orare quam distracte orare. Hergo bene debent distinguere inter voluntariam et involuntariam distractionem et voluntaria quidem non parum displicet Deo propter grandem irreverentiam, quae per ejusmodi distractionem committitur. Involuntaria autem non solum non displicet,

sed saepe magis placet, ut olim Deus Religioso cuidam ostendit, qui vidit duos alios Religiosos simul orantes, alterique coronam auream immediate supra caput, alteri non nihil remotius pendere; utrumque ergo ad se vocavit, et quasivit, quomodo illis oratio successerit, cumque alter, cui proxima erat corona, respondisset, pessime sibi eam successisse, ut quam totam inter distractiones exegisset; alter vero fassus est, nunquam vere brevis aut jucundius orationis tempus sibi fluxisse, utpote inter suavissimas consolationes consumptae, facile collegitis, qui utramque coronam viderat, multo plus meruisse, Deoque placuisse illum, qui involuntarias distractiones patienter sustinuit, quam qui dulcissimis illis caeli suavitatibus fruebatur; unde bene Thomas Kemp. l. iv. c. xii. in persona Christi sic talem hominem desolatum alloquitur: « Affectus sibi bonus et dulcis, quem interdum percipis, effectus praesentis gratiae est, et quidam praegustus patriae coelestis, super quo non est nimium imitandum, quia vadit, et venit. Certare autem adversus incidentes malos motus animi, suggestionemque spernere diaboli, insigne est virtutis et magni meriti. » Quisquis ergo huic errori fuit obnoxius, tria haec deinceps praestare studeat. Et primo quidem diligenter praemittat intentionem, vel propositum orationem suam cum omni possibili attentione peragendi, atque ad hoc ipsum gratiam a Deo per breve suspirium petat ad imitationem Ecclesiae in horis Canonicis versiculum: *Deus in adiutorium*: premitentis. Deinde sequatur Abrahamum Gen. xv. qui, cum sacrificium Deo offerret, et volucres caeli descenderent ad vorandum illud, constanter adstabat, et abigebat illas: sic ergo ipse alienas cogitationes, quae fructum sacrificii sui, id est, orationis impedire conantur, pro viribus abigat, nec propterea si forte etiam culpabiliter distractus fuerit, talem orationem repetat, sed faciat quod illi, qui filium convolvunt aut devolvunt (*auf oder abwinden*) et non propterea si forte filium ruptum sit, totum denuo devolvunt, sed initium filii rupti quaerunt, et volvere pergunt. Denique orationem suam cum orationibus Christi, Beatiss. Virginis aut Sanctorum uniat; nec dubitet, quod sicut malus nummus cum innumeris conjunctus bonis, aut aquae gutta dolio optimi vini infusa propter conjunctionem perinde, ac boni nummi acceptantur et vinum bibitur, ita et oratio ip-

sias a Deo propter unionem illam sit benevolis auribus audienda.

Error quartus.

Error quartus et ultimus est eorum, qui, si non statim audiantur, obtineantque, quod petunt, animum abijciunt, indignantur, et saepe orationem velut inutilem omnino negligunt: hi ergo pro suo corrigendo errore sequentia tria bene notare debent. Primo causam, cur non exaudiantur, saepe non in Deo, sed in ipsis esse, eo quod in amicitiam cum Deo redire non student, id quod bene Is. c. vni. indicavit dicens: « Non est abbreviata manus Dei, ut salvare nequeat; neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat vos, sed iniquitas vestra divisit inter vos et Deum, vestrum, et peccata vestra abscondunt faciem ejus a vobis, ut non exaudiret: manus enim vestrae sanguine pollute sunt, et digiti vestri iniquitate. Quis autem Rex aut Princeps exaudiret reum manus sanguine Filii sui madidas extendentem? Itaque qui vult exaudiri, Ecclesiam monentem audiat: *Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua, si enim cor nostrum non reprehendit nos, fucium habemus ad Deum, et quidquid peterimus, accipiemus ab eo*, ut recte S. Joannes c. iiii. ait. Ne forte tamen peccator in errore inducatur, scire debet id, quod modo de orationibus peccatorum non exaudiendis dictum est, non ita esse intelligendum, ac si nullo modo sit utilis oratio, sed tantum, quod non ad meritum gratiaeque incrementum impetrandum conducatur, nam ad ipsam conversionis gratiam obtinendam, vel maxime juvat, adeoque vel hoc etiam titulo negligenda non est.

Secundo sciant tales, se non impetrare, eo quod male petant. Ita S. Jacobus c. iv. indicavit dicens: *Petititis, et non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis*; quae enim Mater tenello Filio suo cultrum aut sclopetum petenti annuat? annon potius melius quid ipsi offert; ita et Deus saepe non exaudit ad volum, ut exaudiat ad salutem, quemadmodum S. Isidorus advertit; hinc consolatorie prorsus S. Bernardus ait: *Nemo vestrum parvipendat orationem suam, postquam egressa est ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo, et unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut id, quod melius est.*

Tertio, quia non negat, sed differt, ut ait S. Aug. de verbis Domini: « Cum aliquando aliquid tardius donat, commendat dona, non negat; desiderata diu dulcius obtinentur, cito autem data vilesunt. Pete, quere, insta petendo, et querendo crescas ut capias. Servat tibi Deus, quod non vult cito dare, ut et tu discas magna desiderare. » Itaque quicumque talis est, deinde cum pio Asceta dicat l. iii. c. xv. « Domine, tu scis, qualiter melius est: fac hoc vel illud, sicut volueris, da quod vis, et quantum vis, et quando vis, quia et res, et mensura, et tempus a te electa scio optima esse. »

Epilogus.

Atque hi modo errores sunt, qui communius circa orationem committi solent; quibus ergo illos bene consideret, et tanto impensius emendare et devitare studeat, quanto majorem ex iis emendationem, et ex oratione fructuose obita utilitatem sperare potest; de reliquo sibi illud S. Pauli ad Philipp. c. iv. dictum putet: *Nihil solliciti sitis, sed in omni oratione et observatione petitiones vestras innotescant apud Deum: petite et accipietis, petite, inquam, cum fide, ut credatis Deum audire: petite cum spe, ut speretis vos exaudiendos: petite cum charitate et constantia, ut mereamini exaudiri: petite in nomine Christi, quia ipse dixit Joan. xv. Si quid petieritis Patrem meum in nomine meo, dabit vobis*; hoc modo, inquam, petite, et accipietis, et sic gaudium vestrum erit plenum hic temporaliter, et ibi in aeternum. Amen.

Exemplar tertium.

In quo ostenditur quomodo vitium aliquid reprehendi et corrigi debeat?

Thema.

Omnis, qui se exaltat, humiliabitur. LUC. xiv.

Scopus.

Demonstrandum, quam nullus homo causam superbiendi habeat.

Syllogismus principalis.

Tunc nullam habemus causam superbien-
di, quando omnia, per quæ ad superbiam
incitatur, vel bona non sunt, vel certe aliena
sunt; atqui verum est antecedens, ergo etiam
consequens.

EXORDIUM.

Solent ii, qui charas aviculas in cubiculo
custodiunt, liberum quidem volatum in illo
relinquere, sed ne in altum se extollere et
evolare queant, alas detruncare; hunc mo-
dum et Deus consuevit servare, habet et Is in
hoc mundo aviculas aliquas suaviter quidem
canentes, ideoque singulariter ab eo dilectas,
id est, tam voce, quam factis ipsum assidue
laudantes et benedictes, relinquit etiam
ipsis libertatem in agendo, sed ne per super-
biam in altum se extollant, et ab eo avolent,
vel ipse illis per occultas inspirationes aut
libros spirituales alas magnæ de se æstima-
tionis abscondit, vel certe Concionatores, qui
hoc faciunt, mittit; quare cum et mihi hoc
officium commissum sit, et aliunde mihi
notum sit, has alas, quantumcumque abs-
condantur, semper iterum succrescere; et
ego hodie forcicem accepi mecum, qua meis
auditoribus alas, si forte alicui nimium ite-
rum succreverint, decurtem. Confido autem,
et vos decurtationem hanc tanto libentiori-
bus animis passuros, quanto meliori inten-
tione, solius scilicet gloriæ divinæ et vestræ
salutatis intentione eam a me fieri nostis.

Tentatio prima.

Prima tentatio superbiæ oritur *ex status
amplitude et dignitate*; hic enim multos
reperire est, qui cum Pharisæo dicant: « Do-
mine, gratias tibi ago, quod non sim sicuti
ceteri hominum; » sed nolite, o boni, no-
lite de vestra nobilitate aut dignitate gloriari,
quia nisi cum virtute conjuncta sit, ab ho-
minibus quidem vanis et insanis, non tamen
perinde etiam a Deo et prudentibus magni
fieri aut æstimari solet, id quod jam olim
Romani sapienter indicaverunt, cum duo tem-
pla ædificarent, Honori unum, Virtuti alte-
rum, sed ita inter se connexa, ut nulli ad

Honoris templum aditus pateret, nisi per
Virtutis teropium prius transisset; pulchre
insinuantes omnem splendorem et gratiam,
quæ vel nobilitati vel dignitati inest, ex vir-
tute velut nativa matrice nasci debere, uti
præclare etiam S. Bernardus advertit, dum
dixit: « Virtus mater gloriæ est, sola enim
est, cui gloria jure debetur, et secure impendi-
tur; quæ autem est sine virtute aut gloria,
profecto indebite venit, propeere affectatur,
periculose captatur. » Notate hoc, o Nobiles,
et unde nobilitas vestra splendorem secum
accipiat, discite: certe si primam originem
nobilitatis indagare velimus, deprehendemus,
olim majores nostros duo potissimum officia,
quæ homines magis virtuosos requirebant,
et prudentes, exercuisse, scilicet cultum Dei
et patriæ defensionem; ad gemina hæc offi-
cia optimos quosque ex se ipsis elegerunt, et
illos quidem, qui ad cultum Deo specialius
tribuendum fuerunt electi, Canonicos (unde
Cathedrales nobilium Ecclesiæ exorte sunt)
alios vero, qui ad patriam defendendam de-
putati fuerant, Equites (unde ordo Equitum
di Ritterschaft nomen sumpsit) appellaverunt,
utpote qui equis plerumque vehi consueve-
runt. In hoc autem selectu non ad ipsum
præcise sanguinem et nativitatem attende-
bant, quia bene sciebant, hac ratione nos
omnes æquales esse, juxta notum disty-
chon:

Si Pater est Adam cunctorum, Mater et Eva,
Omnes nomine sumus nobilitate pares?

Sed virtutis potissimum rationem habebant,
non ignorantes, quod S. Bernardus dixit:
« Sola nobilitas est, esse clarum virtutibus; »
hinc more suo egregie nobiles S. Gregorius
Nazianz. hortatus est, dicens: « Qui generis
splendorem jactatis, date operam, ut mores
quoque nobilitetis. » Sed et vos, qui variis
in officiis et dignitatibus constituti supercilia
propterea attollitis, hanc doctrinam bene no-
lite, memento, non propterea quod alio-
res estis, etiam laude et æstimatione digniores
vos esse, id quod ingenioso non nemo figu-
mento ostendit, dum dixit, ortam quandam
inter partes domus contentionem esse, que-
nam cæteris omnibus preferenda esset,
eamque ob causam peritos aliquos æstima-
tores selectos, qui omnes partes accuratius
inspicerent, et qualia quisque in se bona
contineret, curiosius observarent. Itaque
initium a camino utpote cæteris altiore,
quique adeo haud dubie palmam sibi adju-
-

catum iri sperabat, factum, sed in eo nihil
præter altitudinem et extrinsecum caddorem,
reliqua omnia nigra, fumosa, deformis in-
venta, quare relicto illo ad alias partes con-
siderandas ventum, quæ quanto erant infe-
riores, tanto plura et majora in iis bona sunt
reperita, quousque denique in ipsam cellam
descenderunt arbitri, illamque dulcissimo et
selectissimo vino refertam deprehenderunt,
tum enim exclamare coacti sunt: bonum est
nos hic esse, atque sine ulla ulteriore contro-
versia palmam præcedentiæ cellæ adscripse-
runt. O quam pulchre superborum indolem
hic caminus explicat! sunt namque et illi
dignitate, et statu altiores aliis, adeoque iis,
qui exteriora tantum considerant, speciosi
apparent, sed si interiora considerentur,
nihil nisi nigredo peccati, et fumus vanitatis
copiosam olim lacrymis causam præbiturus
reperitur, cum interea humiles dulcissimo
vino securæ et tranquillæ conscientiæ abun-
dent. Accedit, quod honor, qui ipsis a sub-
ditis exhibetur, non ipsis, sed Deo exhibea-
tur, id quod bene quondam Agaso mulo suo
ostendit, dum eadem in publica processione
Isidis Deæ statuam portantem, et quod homines
ante se in genua procidere advertit, clato
latus pupugit, dixitque: non tibi, sed Isidi,
scilicet honor hic exhibetur. Ita et Servator
noster olim Apostolos Luc. x. correxit, dum
illis ad se cum gaudio venientibus, jactanti-
busque, quod demonia illis subjicerentur,
dixit: « Nolite gaudere, quia spiritus vobis
subjiciuntur, gaudete autem, quod nomina
vestra (propter virtutem) scripta sunt in coe-
lis; » quisquis ergo hac tentatione pulsari se
advertit, illud Eccl. iii. consilium alte menti
imprimat: « Quanto magnus es, humilia te
in omnibus, et coram Deo invenies gratiam,
quoniam magna est Dei potentia solius, et ab
humilibus honoratur. »

Tentatio secunda.

Secunda tentatio *ex corporis pulchritudine*
oritur, cui mulieres præcipue sunt obnoxie,
a quibus proinde nihil frequentius auditur:
Domine, gratias tibi ago, quod non sim si-
cuti ceteri hominum, deformes, pallidi et
uno alterove membro carentes. His itaque
ut alas has præscindam, duas doctrinas, vel
ut duas partes forcicis offero, et consideran-
das relinquo. Prior est, ut bene considerent,

quid sit corpus illud pulchrum, unde tanto-
pere efferuntur, nempe ut S. Bernardus
recte advertit, simus nive tectus, aut vas
stercorum cute bene colorata coopertum, id
quod solerter Rex aliquis suis aulicis decla-
ravit, ut Pater Jacobus Biderman in suis
acroamatis refert, dum vas foetidissimo ster-
core repleti, et supra illud statuam virginis
elegantissime vestitæ collocari jussit, su-
binde quid de statua hac virginis quisque
sentiret, edicere præcepit, cumque omnes
eam miris laudibus extollerent, nec satiari
ejus aspectu possent, tandem vestes remo-
veri et latentem sub illis cloacam ostendi vo-
luit, simulque dixit: « Ecce hoc est pul-
cherrimum illud objectum, quod insano
propemodum amore complexi estis. » Si simili
modo mulieres ejusmodi superbiæ interdum
mentis oculum, non ad exteriorem speciem
vestium et cutem, sed ad sordes intus late-
tes converterent, profecto et ipse cessarent
a nimia æstimatione suæ pulchritudinis, at-
que ad internam pulchritudinem, quæ nulla
vetustate aut morbo corrumpitur, totius viri-
bus procurandam se converterent. Posterior
doctrina est, quod non vana dumtaxat, sed
etiam proximo, quem ut nos ipsos diligere
debemus, summe nociva sit pulchritudo,
nam ut recte Salomon ait Eccl. c. v. *Propter
speciem mulieris multi perierunt, et ex hac
concupiscentia quasi ignis exardescit.* Experti
sunt hoc Samson, David, Holophernes, et
innumeri alii, ut non immerito aliqui faciem
mulieris facile basilisci venenatiorem dicere
ausi sint, nam basiliscus non necat, si ipse
videatur, sed tantum si ipse aspiciat alios,
mulieris autem facies etiam ab alio inspecta
necat, hinc tam sollicitè monet Eccl. c. ix.
*Virginem non aspicias, ne forte scandalizeris
in forma illius.* Hinc S. Job tam arcte pepi-
git fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret
quidem de virgine; annon ergo potius tris-
tandi, et se humiliandi, quam superbien-
di occasionem ex pulchritudine sua debent de-
sumere formosæ mulieres, ita sane, nempe
ut pavo pennas suas extensas dimittit, et
contrahit, si pedum nigredinem videt, ita et
mulieres tales se extollere ob pulchritudinem
desinent, si pedes, id est, infelices effectus
pulchritudinis considerent. Quare omnes ejus-
modi mulieres sapientissimum Salomonis of-
fatium alte pectori suo inscribant, PROV. XXXI.
*Fallax gratia, et vana est pulchritudo; mul-
lier timens Dominum ipsa laudabitur:* Sed et
epitaphium ejusmodi mulieris sepulchro a